



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICO
PRACTICA,

DE EO ¹³⁹²⁹
QVOD MEDICVM DECET
CIRCA
FVLGINE TACTOS

QVAM,
PRÆSIDE
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,
PRÆNOBILI, CONSVLTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO VIRO,
DN. D. HERMAN. PAVLO JVCH

SACRI PALATII CAESAREI COMITE, FACVLTATIS MEDICAE SENIORE, PA-
THOL. ATQVE PRAX. PROF. PVBL. ET ASSESSORE PRIMARIO, SERENIS-
SAX. DVC. VINARIENSIS, ISENACENSIS ET GOTHANI CONSIL.
AVLICO ET ARCHIATRO, N. N. ACAD. CAESAR.
NAT. CVRIOS. COLLEGA,

PATRONO AC PROMOTORE SVO COLENDISSIMO,
INCLYTO MEDICORVM ORDINE IN PER-ANTIQA
HAC HIERANA GRATIOSE INDVLGENTE,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS
ATQVE IMMVNITATIBVS
RITE AC SOLENNITER ADIPISCENDIS,
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT,
AVCTOR ET RESPONDENS

JO. CHRISTOPHORVS RASBACH,

Haslebia-Thuringus,
Sereniff. Princ. Schwarzburg. Medicus Aulicus, & Praefecturae Ebelebiensis
Physicus ordinarius.

DIE XXVII. MAJII MDCCXXXVII.
IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJ. AB HORA VIII. MATVTINA AD X.
CORFORDIAE, TONNBERGII

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

BY THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO





DISSERTATIONIS INAUGVRALIS MEDICO-
PRACTICÆ

DE EO

QVOD MEDICVM DECET

CIRCA

FVLMINE TACTOS,
PROÆMIVM.



Irabilia esse omnia DEI opera, re-
cte cum Regio Propheta ex *Psal-*
mo CXI. 2. Christianorum agno-
scit chorus & Physicorum pari-
ter ac Medicorum confirmat
schola: Plurima horum utilitate ac suavitate
mortalium animos delectare ac recreare, alia
vero tam impetus vehementiâ, quam effectuum
periculo & noxâ, tremore metuque eosdem

A

con-

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO





DISSERTATIONIS INAUGVRALIS MEDICO-
PRACTICÆ

DE EO

QVOD MEDICVM DECET

CIRCA

FVLMINE TACTOS,
PROŒMIVM.



Irabilia esse omnia DEI opera, re-
cte cum Regio Propheta ex *Psal-*
mo CXI. 2. Christianorum agno-
scit chorus & Physicorum pari-
ter ac Medicorum confirmat
schola: Plurima horum utilitate ac suavitate
mortalium animos delectare ac recreare, alia
vero tam impetus vehementiâ, quam effectuum
periculo & noxâ, tremore metuque eosdem

A

con-

concutere, experientia quotidiana monstrat; inprimis autem ultimum hoc frequentissima illa tria meteora, *Fulgur, Tonitru & Fulmen*, abundantissime testantur, utpote quæ, sicuti ad minimum quoad existentiam, seu à posteriori, omnibus notissima, ita & singulis maxime terribilia existunt, ita ut vix quicquam habeat natura rerum, quo terrere magis frequentiusque possit homines, quam horrida, rapidisque fulguribus intermixta tonitrua ac fulmina. Hinc etiam non immerito jam inde ab antiquissimis temporibus singulari attentioni ac perscrutationi dignissima eadem judicarunt artium divites, vix tamen veras ac genuinas illorum causas tot seculis tantisque studiis erueri atque in luce collocare potuerunt, licet non mediocriter acutissima etiam subtilissimaque ingenia defatigaverit admiranda illorum vis atque velocitas. Multa quidem satisque copiosa est veneranda antiquitas in recensendis speciatim *fulminis* effectibus & operationibus, omnem fere humanam fidem exsuperantibus, ut vel propterea infido quandoque calamo à quibusdam Auctoribus annotatos tales esse ha-

rio-

riolari liceat, testante id, suo inprimis exemplo, PLINIO, qui, ut fuit in recensendis omnis generis historiis faciliior, ita & accuratiori minusque credulo huic seculo jure meritoque audit incertior. Sic quoque ex medii, imo recentissimi hujus ævi nostri Physicis complures occurrunt, quos acutissimos, ingeniosissimos omnique assensu dignissimos censebis, ubi aliorum sententias de natura & origine *fulminum* examinant atque reprehendunt; è contrario autem sui ipsorum dissimillimos & à pristino judicii acumine non parum deficientes reputabis, ubi propriam suam enarrare ac confirmare nituntur hypothesin, dum non raro plura, quam quidem re vera sentiunt, sentire sibi videntur, præcipiti nempe consensu judicioque decepti. Omnes ergo variam *fulminis* naturam, & imperscrutabilem ac prorsus divinam ejus generationem mirantur, pauci vero sufficientes de stupendis ejusdem effectibus proferre valent causas, cur nimirum v. g. illud nunc hominem equo insidentem, hoc intacto, nunc vero equum ipsum, illæso homine insidente, enecet, nunc omnes totius corporis pi-

los absumat, illæsis tamen vestibus similiter ex pilis animalium contextis, nunc calcaneum lædat, citra calcei eundem ambientis læsionem, nunc integris manentibus chirothecis in manibus saltem ambustiones relinquat, nunc alia admodum curiosa, omnemque fere captum Physicorum minus exercitatorum transcendentia, exhibeat phænomena, speciatim autem varia satis gravia ac periculosa *morborum* schemata in subjectis cæteroquin satis validis ac robustis quandoque inducat, de quibus propterea, cum pressius ad forum medicum spectent, paulo specialius, loco speciminis inauguralis, agere, quidve Medicus clinicus ratione debitæ illorum curationis (si modo ea locum adhuc habet,) observare debeat, brevibus demonstrare, pro exiguo virium modulo, allaborabo. Faxit ergo DEUS, ut cuncta cedant feliciter!

§. I.

Vix opus erit, ut vocabulorum thematis nostri aliquam in limine hujus tractationis reddamus rationem, cum omnibus nota sit genuina eorundem acceptio: Licet enim *fulmen* communiter à *fulgendo* derivetur, idemque ac *fulgimen*, esse dicatur, quoniam nimirum oculos animosque hominum fulgore info-

insolito percellit, minime tamen cum *fulgure* propterea confundi debet, quoniam gradualis ad minimum intercedit differentia, ita ut hoc saltem de subitanea accensione subtiliorum, & quidem potissimum puriorum sulphurearum, in aëre nostro atmosphærico fluctuantium exhalationum, illud vero de impuriorum ac crassiorum sulphureorum vaporum, cum bituminosis, nitrosis, terreis ac mineralibus variis particulis commixtorum, simili accensione, propius tamen circa terram, aut saltem circa infimam nubium regionem facta, & hinc objecta occurrentia modo inflammante, modo conquassante & dirumpente, modo alia etiam ratione lædente, accipiatur. Unde facile liquet, quod *fulmine tacti* omnes illi dicantur, qui tali impetuoso ac repentino igne, corpora ipsorum magis vel minus feriente, hinc inde quasi tacti, percussi aut læsi sunt, indeque notabilem quandam functionum ordinariarum in corpore vivo sanoque contingentium turbationem, cum sanitatis dispendio, perferunt.

§. II.

Priusquam vero fonticos istos ac perniciosos fulminum effectus, in corporibus vivis productos, exactius lustrare & indagare suscipimus, operæ utique pretium erit, ut istorum *originem & generalem operandi modum* paucis antea, in quantum pro nostro scopo opus est viresque imbecilliores permittunt, demonstrare & explicare nitamur, ut dein clariorem specialiorum phænomenorum reddere queamus rationem. Vulgata equidem olim non solum fuit, sed & hodie adhuc multorum ingeniis manet infixata opinio, fulminis *ma-*

§. IV.

Hinc ergo facile nunc liquet, cur certa quædam loca multo magis ordinarie, quam alia, fulminibus infestentur, quoniam nempe alibi, præsertim in montanis regionibus, talium materiarum, unde vapores fulminibus generandis apti emergunt, magna latitat copia; alibi minor; alibi fere nulla: Hic magis diffusa, illic magis concentrata existit; hoc loco post expirationem facile statim dissipatur, alio diutius retinetur, colligitur & fovetur. Porro, cur fulmina ipsa, juxta vulgarem loquendi modum in templa, turrets aliaque ædificia irruentia & delabentia, oculos spectatorum effugiant, ut fulgurationem quidem, non vero ipsum fulmen conspiciant, quoniam nempe hoc eo ipso loco & nascitur & maximam partem absumitur, ubi tragœdias excitavit. Item cur motu adeo flexuoso atque errante progrediantur, imò sæpissime resiliant & satis incomposite replicentur, quoniam deflagratio ibi quidem incipit, ubi maxima existit congeries particularum inflammabilium, dein vero pabulum suum prosequendo, diversos perreptat anfractus, ut ita per plusculos sæpe ramos flamma diffundatur. Talium vero locorum, ubi materiæ istius incendium primitus fieri potest ac solet, tria potissimum esse arbitramur, *intra* nempe *terram*, in speluncis & cavernis subterraneis, id quod terræ motus, halitus fulminantes in fodinis, montiumque incendia monstrant; proxime supra, seu *prope terram*, unde non solum fulmina illa, quæ res quasque in superficie telluris sitas adurunt, discutiunt & late strages edunt, sed & mitiores ignes, fatui, lamben-

tes,

tes, alique iis similes; & tandem *supra terram*, in paulo altiori aëris regione, circa, non vero intra inferiores nubes, unde illa imprimis fulmina originem ducunt, quæ loca excelsa & altissima ædificia perere ac lædere solent, cuiusmodi exempla uti quotidie fere occurrunt, ita nec talia desunt, quæ originem fulminis *prope terram* monstrant atque confirmant, ut videre licet in *Actis philosoph. Anglican. Num. 177. § 336. Ephemer. Acad. Nat. Cur. Cent. I. Obs. 185. LEHMANNI Schaupt. der natürl. Merckwürd. in dem Ober-Grz-Geb. p. 346. SCHEVCHZERI Natur-Gesch. des Schweitzerl. Part. II. n. 14. § Itin. Alpin. IX. ann. 1711. Fr. BAYLE Institut. Phys. Tom. II. p. 582. Confer. etiam GASSENDVS Oper. Tom. II. p. 94. STURMIVS Phys. Elect. Tom. II. p. 1267. CLERICVS l. c. & NEWTONVS Lib. III. p. 326. versionis Clarkianæ.*

§. V.

Interim pro varia dispositione & mixtione particularum halitusarum, fulmina constituentium, utique etiam varios eadem exserere solent effectus, sicque varix ipsorum emergunt differentix. *PLINIVS Lib. II. Hist. nat. cap. 43. ea in fatidica & bruta dividit, ethnica potius superstitione, quam physica aliqua ratione persuasus: Alii in scindentia, infuscantia & urentia; Alii in torpida, sive inertia, fuliginosa, seu fumosa, & clara, seu flammifera, eadem dispescunt. Optima autem nobis videtur illa divisio, quam SENECA Lib. 2. quest. nat. cap. 40. affert, ubi illa in terebrantia, discutientia & urentia distinguit: Prioris generis subtilia & flammea esse dicit, quibus per angustissimum spatium fuga est, ob sinceram & puram flammæ tenuitatem; secundi*

generis conglobata esse autumat commixtamque habere vim spiritus ignei & procellosi, unde ic̄ta rumpunt, non vero perforant; tertii autem generis fulmina multum terreni continere & ignea magis, quam flammea esse asserit, hoc est, manifesta ardoris & ambustionis vestigia, percussis inhærentia, imprimunt. In genere ergo diversi illi fulminum effectus à varia dispositione ac copia Φ earum ac Θ sarum particularum potissimum dependent, in specie autem *terebrantia* ex Φ e puriori ac subtilissimo, admixtione Θ sæ materiæ quadantenus irretito, sicque, dum subitanea & æquali rarefactione accenditur, cum impetu deflagrante; *discutientia* vero ex simili materia, sed Θ inis alcalicis & terreis particulis magis implicata, adeoque rarefactionem violentam & inæqualem, cum graviore concussionem & obviorum disruptionem, producente; & tandem *urentia* ex puriori Φ eo spiritu, paucioribus vinculis Θ sis, alcalinis ac ∇ eis constricto, aliquando tamen cum bituminosis conjuncto, sicque lenius deflagrante, non vero æque ad interiora penetrante, hinc ambustiones modo graviores, modo leviores, unacum aliis periculosis effectibus, in corporibus vivis præcipue, inferente, consistere merito reputamus, quos ipsos propterea nunc paulo specialius, juxta propositi nostri rationem lustrabimus.

§. VI.

Producuntur autem fontici isti effectus à fulminibus vel *mediate*, dum nempe à fragmentis arborum, murorum, aut ædificiorum discussorum, prætereuntibus vulnera infliguntur, aut ossium fracturæ gravesque

con-

contusiones inducuntur, de quibus tamen, cum per se pateant, & ordinariâ chirurgicâ methodo tractari & consolidari queant, non opus erit ut specialius heic loci agamus; vel etiam *immediate & proxime*, dum partim flammæ violentiâ *externæ* saltem partes læduntur, salvis manentibus internis, partim etiam vaporum subtilitate & pernicioſa qualitate *internis* non niſi damnum infertur, citra qualemcunque externarum læſionem; modò *animales tantum*, modò *vitales & naturales actiones* gravius turbantur, adeoque vel *transitorii*, vel *diuturni* ac *chronici affectus* producuntur.

§. VII.

Quod *externas partium læſiones* à fulmine inductas attinet, illæ omnium frequentiffimæ ſunt, & communiter in *ambuſtionibus, contuſionibus, lacerationibus & vulneribus*, imo quandoque etiam *fracturis* conſiſtunt, pro ut nempe vel ſimpliciter *urens*, vel quandoque etiam *terebrans* ſimul fuit fulmen, ubi prius horum modò levius eſt, atque ſaltem hinc inde maculas quãdam in cute excitat, cum exquisitiſſimo tamen ardoris ſenſu ſtipatas, aut ſaltem capillos, citra notabilem cutis læſionem, lambendo quaſi abſumit; modò etiam gravius ac vehementius, ut in ipſas quoque muſculoſas & reliquas ſubjacentes partes profundius penetret, ibique præter intolerabilem iſtum ardorem, inſimul gangrænam & ſphacelum inducat, quales effectus etiam ſub vulneribus & fracturis, à conjuncto ſimul terebrante fulmine productis, ordinariè pertimeſcendi ſunt. Sic in muliere quadam, fulmine ſaltem urente tactâ, refert

TREUBLERVS, *Ephem. Nat. Cur. Dec. I. Ann. II. Obſ. 37.*

quod illæso indusio reliquisque vestibus, totum ejus corpus infra mammillas usque ad umbilicum, palmæ unius circumferentia, valde inde combustum deprehensum fuerit. Apud Monspelienses accidisse refert BORELLVS *Obs. Med. Phys. Cent. II. Obs. 38.* ut fulmen, cadens in domum Vicarii generalis Grassii, pilos pudendorum ancillæ abraferit; & *Bartassium*, in muliere sibi familiari jam olim idem factum fuisse, eleganti carmine gallico cecinisse. Pertinet etiam huc historia, ab AGRICOLA *Chirurg. parv. § auct. p. 447.* recensita, de rustico, cui flamma fulminis, per hypocaustum prius vaga, instar globi ignei aliquamdiu rotata, tanto calore tandem pedes exussit, ut intolerabilis existeret æstus, quo vehementiorem in rerum natura vix inveniri posse autumabat percussus, qui æstus etiam, nulla ratione restinguendus, sphacelum illi postero die attulit, hic vero ipsam denique mortem. Sic quoque BORELLVS *l. c.* testatur, fulmen in muliere quadam caput in uno loco terigisse, illudque adeo emollivisse, ut cutis & caro à crânio separarentur, indeque ante & retro ad anum usque descendisse.

§. VIII.

Causam ergo horum singularium fulminis effectuum potissimum in ææ materia plus minusve cum Ois terreisque particulis remixta, adeoque modo blande & lenius, modo repente & impetuosius deflagante, positam esse, ex supradictis (§ V.) jam constat. Illud enim fulmen, quod non nisi pilos absumsit, citra notabilem aut graviolem quandam cutis læsionem, simpliciter ææ indolis fuisse, ejusve flammam commodis-

simum

simum pabulum in oleositate terrea seri, nutrimentum & augmentum pilorum constituyente, obtinuisse, & propterea ad illos potissimum sese extendisse, vero simillimum nobis videtur. In illo vero, quod profundius penetravit & vulnera, fracturas, aut lacerationes post se reliquit, majori salinarum ac terrearum particularum copia stipatam & implicatam fuisse hanc istam materiam concludimus, quoniam sic deflagratio ejus tardior redditur, & flamma ita concentrata prohibetur ne statim dissipetur, quin potius ita augetur, ut vehementius dein urat, aut cum vi prorumpens omnia penetret, duraque ac resistentia penitus dirumpat.

§. IX.

Ad internas dein partes noxiam suam vim etiam extendere posse fulmina, testantur imprimis apoplectici & suffocatorii affectus, quibus sæpissime subjecta iisdem tacta subito exanimari deprehendimus, manifesto sane testimonio, subtilissima illorum hæc narcotica effluvia derepente intimius ad cerebrum aut pulmones penetrasse, viscerumque horum principaliorum substantiam atque texturam gravius læsisse, ut sublatis ipsorum functionibus ipsa quoque vita vel in totum, vel in tantum intercepta fuerit. Sic BENIVENIVS cap. 23. de abdit. rer. caus. patrem & filium uno eodemque momento à fulmine tactos, apoplecticos evasisse, iterumque integre sanatos fuisse refert, quoniam tanta illius efficacia esset, ut humores cerebri vehementissime commovere, & homines attonitos reddere posset. Sic & HILDANVS Cent. III. Observ. 26. de quodam famulo fulmine iccto & occiso narrat, quod caput eidem paulo post intumuerit,

nigrumque evaserit, indeque constitisse, quod graviter læsum fuerit cerebrum. Confer. BONETI *Sepulchret. Lib. I. Sect. II. Observ. 59.* Eodem quoque modo septem illos messorum in Insula Lemno periisse reputamus, de quibus CARDANVS refert *Lib. VIII. de variet. rer. cap. 13.* quod sub quercu cœnantes à fulmine percussi atque exanimati, sub ea specie manserint, qua discubuerant, ut unus comedere videretur, alter ori poculum manu admovere, alius bibere; cumque nigri omnes fuerint, imaginem statuarum repræsentaverint. Quodsi autem densior fuerit Æus iste vapor, ut sæpissime fieri assolet, tunc communiter in *suffocationis* periculum ejusmodi subjecta incurrunt, imo complures horum, nisi tempestive auxilium ipsis feratur, ita pereunt, aut ad minimum gravi per aliquod tempus *dyspnœa* affliguntur, quale exemplum SOMMERVS in *A. N. C. Dec. II. Ann. III. Observ. 175.* adduxit.

§. X.

Quantas porro quamque periculosas tam in *vitibus*, quam *animalibus actionibus* fulmina causentur turbas, graviores iisdem tactorum *lipothymici & syncoptici affectus*, præmaturi gravidarum *abortus*, superstes in aliis *fatuitas*, sensuumque externorum, imo ipsius loquelæ notabiliore læsiones abunde testantur. Sic SCALIGER *Exercit. XIII. ad Subtil. Cardani*, refert, bubulum quendam fulmine tactum, abinde in dementiam incidisse; ita quoque Jo. Bapt. van HELMONT p. 244. puellæ 9. annorum mentionem facit, quæ à tonitru primum insigniter terrefacta, postea cessaverit edere & integro triennio nil prorsus comederit, nisi quod

quod forte per octiduum biberit 4. circiter cochlearia
 aquæ puræ; quemadmodum etiam SCHENCKIVS de
 patre & filio fulmine tactis narrat, quod eorundem
 corpus & mens tanto stupore affecta fuerint, ut muti
 & sine sensu usque ad septimum diem fere, absque ci-
 bo & potu, miseram vitam duxerint: & licet experien-
 tia non confirmet illud ALEXANDRI assertum, *Lib. II.*
problem. 88. prolatum, quod nempe fulmine percussi, si
 non intereant, vel ad aliquod tempus, vel per totam
 vitam fatui maneat; ad minimum tamen in omnibus
 & singulis notabilem satisque interdum chronicam
 debilitatem operationum mentis deprehendimus, ut
 pristinum animum prorsus mutasse & ex alacritate &
 hilaritate in torporem ac tristitiam transisse penitus-
 que transformati esse videantur, quæ omnia potissi-
 mum *terrori* isti repentino ac vehementissimo, à con-
 juncto fulgure ac tonitru ordinariè inducto, adscri-
 benda esse censemus. Quanquam enim ab illorum
 partibus stare haud placeat, qui asserunt, nonnullos ex
 solo vicini fulminis conspectu mori posse, quos inter
 imprimis PLVTARCHVM numeramus, qui 4. *Sympos. qu.*
 2. scribit: *Consternatio fulminibus ingruentibus incessit, ac*
metus ac pavor, ob quæ multi, nihil aliud passi, mortem me-
tuendo, sunt mortui. Et innumeros videre est mortuos toni-
tru, in quibus nullum ictus, aut ustionis apparet vestigiun;
quia nimirum præ metu anima eorum è corpore, avis instar,
avolasset; tantum tamen efficaciam subitaneo ejusmodi
terrori omnino tribuimus, ut actiones singulas ad vi-
tam sanitatemque necessarias gravissime alterare, tur-
bare & intercipere, eoque ipso supra allegatos affectus
 potif-

potissimum inducere queat; mortem autem ipsam repentinam, citra qualemcunque evidentio- rem læsionem externam ita evenientem, imprimis suffocationi, tam à vaporibus copiosioribus & subtilioribus Æis, utpote extrinseca causa, quam à terrore, ceu intrinseca causa, conjunctim inductæ, adscribimus.

§. XI.

Ex his ergo nunc patet, dari etiam quandoque certa *signa*, ex quibus aliquem fulmine tactum & enecatam esse concludere licet: Si enim urens fuerit fulmen, tunc communiter hinc & inde maculæ fuscae & nigricantes, velut ordinaria ambustionis signa, observantur; si vero terebrans, tunc manifesta vulnera in hac vel illa parte deprehenduntur, quæ vero, an semper in talibus subjectis frigidiora sint reliquo corpore, ideo, quod impetus fulminis omnem calorem à parte icta repellat, ut vult MEVRERVS *quest. meteorolog. p. 145.* ulteriori indagandum erit experientia. Ubi manifestæ externæ læsiones deficiunt, atque ejusmodi homines vel apoplexia, vel suffocatione à fulmine inductâ perierunt, tunc ad minimum corpora vestesque eorundem gravissimum teterrimumque spirant odorem Æcum, ut propterea nec volucres, nec bestiæ cæteroquin voracissimæ illa attingant. Utrum autem juxta SENECAE relationem, *l. 6. cap. 31.* hominum pariter ac cæterorum animalium, quæ icta sunt, caput ad exitum fulminis spectet, insuper etiam oculi ita interfectorum semper conniventes, si vigilaverint; patentes autem si dormiverint, deprehendantur, quoniam vigilantium oculi isto fulgure perstringerentur, somno oppressi ve-

ro excitarentur, non dum exacte satis nobis constat, multo minus autem veritati consentaneum est, quod corpora talia magna ex parte sint levia, & juxta PLUTARCHI relationem *l. c.* nullam unquam experiantur putredinem, quoniam ignea fulminis substantia omnem humiditatem incendio absumeret, cum & SENECA *Lib. II. de nat.* & alii talia intra paucos dies verminare observaverint. Plura videantur apud ZACCHIAM in *Quæst. med. legal. Lib. V. tit. 2. qu. 11. §. 7.* & Fort. FIDELIEM *Relat. med. Lib. IV. cap. 1. p. 594.*

§. XII.

Quoad *Prognosin* equidem omnes in genere à fulmine excitati affectus admodum periculosi & fontici sunt, tam ratione causæ eosdem excitantis, quam extremi terroris illos concomitantis, minime tamen propterea cum CARDANO *Lib. II. de subtil.* reputandum est, quod fulmine tactorum nullus, aut saltem paucissimi evadant, cum experientia quotidie contrarium monstret. Sic *ambustiones* fulmineæ nunquam periculo carent, sed facile pessimæ inflammationes, imo Gangræna ipsa & Sphacelus iisdem superveniunt, imprimis si graviores, latiores ac profundiores, insimulque in sensibilibus nervosis ac tendinosus partibus excitatæ illæ fuerint, quoniam astrale illud ♀ ac ☉, ex quo potissimum fulmina constant, majori cum vehementia ac impetu sub deflagratione ista subitanea in molliores hasce partes penetrare solet. Sic quoque *Lipothymia*, quo diutius durant ac insistent, eo plus periculi portendant, quoniam tanta animi abstractio à corpore suo neque facilem, neque efficacem restitutionem

nem sperare permittit. Idem de diuturniori *oblivione, fatuitate, stupore* tam mentis, quam partium corporis, *deliriis, affectibus soporosis sensuumque obnubilationibus* ac debilitationibus, nec non *paralyticis, hemiplecticis, suffocativis & convulsivis* affectibus ferendum est iudicium, quemadmodum etiam nec Vomitus symptomatici, imprimis biliosi, nec excrementorum involuntariæ dejectiones membrorumque nimii tremores, salutarem unquam portendunt eventum. His vero deficientibus, aut saltem in gradu mitiori apparentibus citiusque iterum evanescentibus, meliora semper sperare licet.

§. XIII.

Ut tandem ad id, quod Medicum imprimis in anticipi hoc rerum statu decet, *Curationem* nempe fulmine tactorum, deveniamus, pro ea debite inchoanda & feliciter absolvenda sequentes potissimum observandas esse indicationes reputamus: I. *Ut sensus motusque deficiens, aut ob terrorem penitus prostratus, restitatur;* II. *Actuali læsioni, aut ambustioni debite prospiciatur, & tandem* III. *Graviora fontica symptomata convenienter mitigentur.*

§. XVI.

Pro obtinenda *prima indicatione* ante omnia subiecta ita afflicta liberanda sunt à vestibus odore isto gravi *Æreo & empyreumatico infectis*, in locum alium deferenda, ut liberioris, serenioris ac purioris aëris commercio fruantur, sicque augmentum præsentis jam jam oppressionis sensuum præcaveatur, simulque corpus ipsum aqua vel lacte calidis undique abluendum, conjuncta simul frictione cum pannis calidis, quæ Florib. Lavend.

vend. Herb. Mari ver. Bacc. Laur. Junip. Lign. Rhod. Sassafr. Gumm. Mastich. Benz. Succ. &c. fumigari, aut ~~aut~~ quodam nervino irrorari possunt, hac tamen cum cautela, ut in illis regionibus, ubi nulla adparet læsio vel ambustio, tales instituantur frictions. Dein externe conveniunt *Autuosa* quadantenus volatilia, naribus modeste applicanda, ex quibus in specie *Autum* *Θis* *★ci* non nimis volatilem, *Θeo* quodam suaveolente, v. g. Rorismar. Serpill. Sassafr. Lavend. &c. leniter imprægnatum, tam naribus, quam vertici, temporibus & nuchæ illinendum commendamus; vel etiam sequens Mixture *Autuosa* similiter adhiberi potest: *R.* Vini camphor. ʒj. *Θis* *★ci* ʒij. Serpill. Rorismar. Lilior. convall. ana ʒiʒ. Formicar. ʒβ. *Θo* Lign. Rhod. Sassafr. de Cedro, ana gtt. viij. M. D. in Vitro, S. Stärckender Glieder, Spiritus zum äusserlichen Gebrauch. His succedere possunt, in casu necessitatis, temperata sternutatoria, non nimis acria, ex flor. Lil. convall. Herb. Major. Beton. Serpill. &c. parata, sique gravior fuerit sensus motusque oppressio, etiam Clysteres moderate stimulantibus injiciendi, & in subjectis nimium plethoricis V. S. proportionata subjungenda est, quippe qua inter alia ejusmodi puellam curatam esse testantur *BORELLVS Cent. II. Observ. 38.* & *SCHENCKIVS Lib. I. Observ. p. 83.* alias enim, nisi summa adfuerit sanguinis abundantia, eandem cum celeberr. illo Argentoratensi Medico, *D. Beza*, omittendam potius esse autumamus; vid. *Epbemer. Nat. Cur. Dec. I. Ann. II. p. 69.*

§. XV.

Interne vero huic scopo maxime favent Aquæ il-

quippe quo, ad demulcendum vehementissimum illum ardoris sensum, vix præstantius quoddam haberi posse medicamentum multi credunt, etiam succus Cepar. asfat. & fol. Rutæ cum Theriaca Androm. in forma Unguenti, aut ꝑ Rosac. Amygd. d. Lil. alb. cum Ungu. Basilic. & vitell. ovor. in Linimenti forma, usurpari possunt. Pustulæ & vesicæ erumpentes rescindendæ dein sunt, & si major forsitan urgeat inflammatio, tunc in ambitu Vini camphor. regioni autem læsæ sequens applicari poterit Linimentum: Rec. Mucilag. Sem. Cydon. c. aqv. Malv. extr. ʒvj. Succ. Plantag. rec. ʒj. Litharg. aur. subtil. pulv. ʒʒ. M. D. in Fict. Eschara, si quæ inducta fuerit, provide rescindenda & auterenda, ac postmodum mundificantia & consolidantia applicanda sunt, v. g. Rec. Mell. rosat. ʒj. Succ. Plantag. rec. Absynth. ana ʒiij. Pulv. Sarcocoll. Myrrh. ana ʒʒ. M. F. Linim. Tandem imponatur Empl. de Sperm. Ran. cum Mastich. Oliban. Sacch. hni & Cerussa paratum, ut ad cicatricem læsio ipsa perducatur.

§. XVII.

Quod denique *tertiam* attinet *indicationem*, seu graviorum reliquorum symptomatum convenientem tractationem, tunc præsentente *surditate*, vel *auditus gravitate*, sequens optime proficiet Linimentum: Rec. ꝑ destill. Chamom. ʒj. Camph. c. Amygd. d. subact. ʒʒ. Bals. Peruv. gtt. vj. ꝑ Succin. gtt. iij. Ois Alis C. C. gr. iij. ꝑ coct. Lil. alb. ʒiij. M. F. Linimentum D. in Fictili, de quo mane & vesperi c. gossypio gtt. IV. applicari possunt. Sin *visus* adsit *obscuratio*, citra tamen organi ipsius læsionem, tunc convenit lenia discutientia & robo-

læ spirituosæ & analepticæ, tam simplices, quam compositæ, videlicet ∇ æ Lilior. convall. Rorismar. Serpill. Ceras. nig. Namph. Rosar. Cinnamom. cum vino paratæ, it ∇ Regin. Hungar. antepilept. Lang. Anhalcina, Veltheimiana, mirabilis, &c. parcioribus quidem, sed repetitis dosibus ori immittendæ; item Confect. de Hyacinth. Alkerm. compl. Syr. de Gemm. Volckam. quæ cum haustulo vini boni eodem modo propinari possunt. Dein etiam convenit ad ipsum motum sanguinis progressivum attendere, ejusque nimiam exagitationem, si forsitan talis præsto sit, remediis temperantibus, v.g. pulveribus ex \odot o depur. Matr. Perl. ppt. Corall. r. ppt. \ddagger io diaph. Spec. de Hyac. & \ddagger ii nat. paratis, aut similibus Potiunculis mitigare; deficientem autem & plus justo debilitatum per lenia diapnoica, resolventia & diuretica quadantenus excitare, ut insimul æqualis hujus humoris distributio obtineatur, quod commodissime per moderatum usum Ess. alexiph. Stahl, aut Ess. Rad. Vincetox. Angel. Pimp, alb. Succin. TRæ \ddagger ii & ¶ i, bis vel ter de die repetendum, aut etiam pulv. ex \ddagger io diaph. Bezoard. min. Succin. alb. ppt. ¶ o \odot lat. Flor. ¶ is & \ddagger \ddagger ii paratos, fieri potest.

§. XVI.

Quoad *alteram indicationem* eo ante omnia respiciendum est, ut suspectum empyreuma aliquo modo in superficie corporis demulceatur & obtundatur, gravior inflammatio præcaveatur, & tandem læsio ipsa consolidetur. Præter ergo simplicem illam absterisionem cum aqua calida vel lacte, inprimis muliebri, quip-

roborantia in Emulsionum aut Collyriorum forma applicari, & ex ∇ a Euphras. Fœnic. Rosar. Calcatripp. Chærefol. Camphoræ pauxillo, Amygd. dulc. Croc. Or. & Tut. ppt. componi possunt, superimponendo sacculos nervinos & discutientes, cum vino coctos, in confiniis autem Vini camphor. applicando. In *obmutescencia* aut *balbutie*, præter tempestive instituendam & post aliquod tempus repetendam V. Snem in brachio, etiam vesicatoria in nucha, & rubefacientia plantis pedum applicanda sunt, sub lingua autem folia recentia Rorismar. aut Mari veri tenenda, hujusque apex pariter ac muscoli sub mento excurrentes \circ destill. Rutæ, Lign. Rhod. Cinnam. & Caryoph. aromat. pauxillo leviter inungi possunt. Quodsi denique superato quoad maximam partem periculo forsitan *paralytodei* adhuc remaneant affectus, tunc præstat tempestive adhibere roborantia & nervina, tam in balnearum, quam totum & suffimigiorum forma, non exclusis sacculis & cataplasmatibus vinosis nervinis, imo, si occasio suppetat, Thermarum temperatiorum conveniente usu.

§. XVIII.

His ergo peractis, totâque Curâ ad finem perductâ, ante omnia animi tranquilla continentia subjectis talibus commendanda erit, ut inprimis à profundis meditationibus & intensioribus mentis operationibus abstineant animi path. ata omnia, maxime vero terrifica, sollicite ev. ab alimentis crassioribus, dyspeptis, nec non nimium nutrientibus sedulo sibi caveant, vini usum moderatum admittant, vitæ genus mobile, sub sereniori inprimis & temperata ac. constitutione, seligant, nihilque illorum intermittant, quæ vel ullo modo ad animi recreationem, aut ordinariorum se- & excretionum promotionem quicquam conferre valent.

T A N T V M.



Berth